Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

et condemnabit eum morte. Et tradet illum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum: et tertia die resurget. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedei cum filiis suis: adorans et petens aliquid ab eo. Quid vis? Ait illi. Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam: et unus ad sinistram tuam in regno tuo. Respondens autem ihs dixit. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei. Possumus. Ait illis. Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam et sinistram non est meum dare vobis. sed quibus paratum est a patre meo. Et audientes decem: indignati sunt de duobus fratribus. Ihs autem vocavit eos ad se et ait. Scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri sit vester minister. et qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare: et dare animam suam redemptionem pro multis.

Off. Ad te domine levavi animam meam. Secreta. Hostias domine quas pro filio offerimus propitius respice: et per hanc sancta commercia munda pro nostra absolue.

Iustus dominus et iustitias dilexit equitatem vidit vultus eius.

Sumptis domine post communionem salutaribus sacramentis ad redemptionis eius nos perficiamus augmentum. Per dominum.

Deus innocentie restitutor et amator. dirige ad te tuorum corda seruorum: ut spiritus tui feruore concepto et in fide immobiles perdurent et in opere efficaces. Per. Fia quinta.

Deus in adiutorium meum intende domine ad adiuuandum me festina confun